[illegible] viro
Francisco M.a Avellino
egregio simul et amico [illegible]

Auctor

DE METHODO
LATINÆ GRAMMATICÆ
IN
ALIQUIBUS REFORMANDA
DIALOGUS

Auctore J. Minervinio.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA TESTA.
MDCCCXXXVIII.

DE METHODO
LATINÆ GRAMMATICÆ
IN ALIQUIBUS REFORMANDA

DIALOGUS

INTER

PHILOLOGUM, ET PALLADIUM.

Curis laboribusque litterariis oppressus doctissimus Philologus, ambulatum in hortulum suum forte concesserat, consilium sequutus illius qui iampridem dixerat

» Sic ludus animo debet aliquando dari
» Ad cogitandum melior ut redeat (1).

Ibi varios flosculos, virentesque herbas adspiciens, omniaque obtutu complexus, quibus natura mortalium oculis maxime placet, pulchriorque semper apparet, cogitabundus deambulabat; neque non tamen studia et litterae illius animo obversabantur. Ei occurrit juvenis quidam, nomine Palladius, unus ex ejus magni viri amicis; quorum amicitia summopere studiorum morumque similitudine firmata (2), in dies magis augescebat.

(1) Phaed. l. 3. fab. XIV.
(2) Corn. Nep. v. T. Pom. Att. n. 5. p. 370 ed. Amstel. Cic. de offic. l. 1. n. 58.

Posteaquam alter alterum salvere jussit, quae verba fecerint viri docti, ego qui dialogo mutus interfui, cum mihi non plane spernenda viderentur, memoriae et litteris consignavi.

PALLADIUS, PHILOLOGUS.

Palladius.

Quo pacto, Philologe, tempus teris? si modo tempus saluti consulendo teritur: mihi demum obtigit te videre illitteratum.

Philologus.

Non ita, Palladi, sed ad litteras quoque animum intendebam; aliquorumque usum, an abusum reprehendebam, qui linguam Latii, grammatica Latine scripta docerent; ac praesertim Italorum, qui tanto studio hoc idioma semper sunt prosequuti, et prae ceteris callent.

Palladius.

Pauci tamen ex Italis in hoc offendunt vitium; verumque dicam, rumpantur ilia Codro! Itali semper scriptitarunt puro sermone; ut mihi quidem, cum Heineccio (1) videtur, non enim latine vulgo loquimur, sed ad libros potius omni cura incumbentes, eam castitatem suavitatemque sermonis adepti sumus, absit invidia dicto, quod haud tam facile

(1) Fund. Styl. Cult. P. III. c. 1. §. 2. n. *

reliquis gentibus datum. Ungari, contra, Poloni, et Monachi, cum inter se latine disserant, barbaro, et sordido dicendi genere plerumque delectantur.

Philologus.

Id vero Gessnerus (1) adiudicat similitudini inter italicum, latinumque sermonem; quod fortasse probarim.

Palladius.

Sed cur in hac re obsistere tibi debeo? Gessnero Barclaium opponam, qui italicam linguam a latina plane diversam videri affirmat, et latine scribere; » ait, inter illos haud pauci, non utique loqui no» runt; linguam quoque qua valgo utuntur, quam» quam nihil est aliud, quam cum corrupta latini» tate barbarorum mixtura verborum, quantum » possunt ab originis suae vestigiis loquendo scri» bendoque avertunt; adeo ut in fauces revocent » verba, quo asperitas soni, vocumque contractio, » quae vix totae ad aures perveniunt, nihil latinae » cognationis videatur habere (2). « Quod ad te attinet, nescis ne magnorum gentis nostrae virorum studio ingenioque ita esse factum, ut nulla pene similitudo appareat utriusque sermonis?

Praeterea falsum est quod Barclaius scripsit initio loci citati; nam legisse memini Erasmi (3) testimonium » Italos quosdam, non omnes, asserens eru» ditos vix umquam adduci posse, ut in familiari » congressu latine loquantur; at si quando compel-

(1) Gess. n. ad l. c.
(2) Barcl. Icon. An. c. VI. 58.
(3) Erasm. Apoph. l. 8 ap. Sanct. cum not Periz p. 860 ed. Amstel. 1714.

» lit necessitas exacte dicere quasi de scripto. « Quod vero non vulgo latinum sermonem adhibeant, recte quidem, et bene agunt. Qui enim fieri potest ut verba omnia illico repperiantur elegantia, ac concinnitate nitentia? Multa non latina, multa barbara proferes; non est enim hoc idioma vigens, ut Germanicum, Gallicum, Italicum, sed lingua est praeterita, penitusque demortua. Ostendit Heineccius fieri non posse ut respublica omnium latine loquentium conflctur, Platonisque esse rempublicam affirmavit; idque verum est, meo quidem iudicio; hoc tantum adiiciam inutilem futurum esse laborem, fieri enim non potest ut recte loquantur, qui vulgo hoc idiomate utuntur.

Philologus.

Haec quae diximus non extra rem dicta sunt, cum de Italis sermonem haberemus; verum hic ambo sedeamus, hocque vitium, latinam grammaticam latine docendi, verbis, quantum est in nobis, exagitemus; neu pigeat γραμματίζειν, si id Perizonio V. Cl. Doctissimoque non displicuit.

Palladius.

Imo grammaticae necessitatem demonstrat (1), nec non dignitatem Maittairius (2) ad astra evehit, in praefatione ad librum de graecis Dialectis elaboratissimum. Nec nos γραμματίζομεν; sed quomodo tenellae aetatis dirigenda sit institutio, id nobis animadvertendum proposuimus; quo quid utilius, quid esse potest iucundius?

(1) Perizon. Praef. ad Sanct. Min.
(2) Mait. de Dial. Praef. p. XV ed. Lipsiae 1807.

Philologus.

Ac primum latina lingua hisce temporibus esse videtur, ut Graeca Romanae genti ceterisque fuit. Latinum idioma, ut tute optime nosti, ubique gentium legitur atque percipitur; idem de graeco apud veteres sermone dicendum est; ad hoc ex Ciceronis praeclarissimo loco sum adductus, ubi inquit: » Nam si quis minorem gloriae fructum putat, ex » graecis versibus percipi, quam ex latinis, vehe» » menter errat, propterea quod graeca leguntur in » omnibus fere gentibus; latina suis finibus exiguis » sane continentur (1). «

Palladius.

Cum hoc perbelle facere videtur Evangelium Lucae referentis iuscriptionem cruci superimpositam. Iesus Nazarenus Rex Iudeorum: haec eius sunt verba; ἦν δὲ καὶ ἐπιγραφὴ γεγραμμένη ἐπ'αὐτῷ γράμμασιν ἑλληνικοῖς, καὶ ῥωμαϊκοῖς καὶ ἑβραϊκοῖς (2) explicatio in promptu est; Romanis litteris ad maiestatem Romanam servandam; Hebraicis Iudaeus enim damnabatur; graecis denique, ut, quae res ageretur omnes advenae intelligere possent.

Adde quod etiam apud Gallos hoc idioma erat pervulgatum; scis Caesarem (3) de his barbaris ita scripsisse » In castris Helvetiorum tabulae repertae » sunt litteris graecis confectae, et ad Caesarem re» » latae « Ergo iam apud barbaras gentes graecarum litterarum usus invaluerat. Multus est Morus in Cae-

(1) Cic. pro Arch. Poet. n. 23.
(2) Luc. c. 23 v. 38.
(3) B. G. l. 1 c. 29 v. quoque l. 6. c. 14.

saris loco a me relato explicando. Massiliam quoque litteris, et lingua graeca usam esse iam animadverterunt Heineccius (1), et Eckhelius (2). De quibusdam aliis gentibus Sturtius (3) eruditissime probavit.

Philologus.

Meam sententiam optime firmasti, erudite Palladi: sed aliquid interest inter latinam, ut nunc se res habet, linguam, graecumque antiquitatis sermonem: nam graeca tunc lingua vigebat, et a quibusdam illius aevi populis adhibebatur; id quod aliter fit in latino nostri temporis idiomate, quod nos nisi a libris addiscere minime possumus. Latini vero Athenas se transferentes ἑλληνίζειν optime poterant; eodem quo nos pacto Galliam petentes, gallico sermone imbuimur. Id accidit Attico ut habemus a Cornelio Nepote (4), et a Cicerone (5); imo Attici cognomen ex Athenis reportavit (6).

Hoc evenit ipsi Tullio, qui, ut omnibus (7) notum est, graece declamabat ut a Graecis rethoribus intelligeretur; multosque alios laudat Cicero in Bruto graecissantes, quos frustra laborarem, si mihi memoria suppeditaret vellem. Sed Marcum filium Tullius quoque misit Athenas, ut eum scientia Cratippus, urbs vero politissima exemplis augere posset (8).

At hi omnes priusquam ad hunc doctrinae gradum

(1) Hein. Hist. Iur. l. 2 §. 1.
(2) Eckel. Doctr. num. T. 1. p. 62 a.
(3) Frid. Guil. Sturtz de Dial. Maced. et Alex. §. 6 p. m. 20.
(4) Corn. in v. Att. n. 19.
(5) Cic l. 2 ep. 1 ad Att.
(6) Cic. ep. ad famil. 1. l. XIII et de Senec. 1.
(7) Cic. Brut. c. 90. Middleton. vita di Cic. l. 1 Fabric. vit. Cic. ad an. U. C. 675.
(8) Cic. offi. l. 1 n. 1.

pervenirent, patria lingua, ita edocti, ut graecos auctores satis commode explicare possent, ad graecos postea magistros devolabant, ut scientia in iis perfecta evaderet. » Id voluit Livius (1) cum ait » habeo auctores, vulgo tum Romanos pueros, si- » cut nunc Graecis, ita Etruscis litteris erudiri so- » litos. «

Id innuit quoque Tullius (2) in partitionibus oratoriis ubi » studeo, mi pater, inquit, latine ex te » audire, ea quae mihi tu de ratione dicendi Grae- » ce tradidisti; si modo tibi est otium, et si vis « et paullo post » vis ne igitur, ut tu me graece soles » ordine interrogare, sic ego te vicissim eisdem de » rebus latine interrogem? «

Quo ex loco colligere mihi videor, prima, ut aiunt, rudimenta graeci sermonis, ex latinis praeceptoribus didicisse Romanos. Ideoque antequam Marcus filius Athenas migraret, iam erat graecis litteris eruditus, praeceptore Romano, fortasse ipso Tullio. Ut vero ad viciniora nobis tempora veniamus, Ludovici Vives(3) consilium referam qui recte » ad prima rudimenta, dixit, adhibebit tabellas » aliquas Graecas, Aleandri puta, aut eiusmodi, » quo sonos, et vires litterarum syllabarumque per- » noscat. Hinc ad declinanda nomina, et verba pri- » mum librum Theodori Gazae, quem Erasmus » vertit. « Nam si graecam grammaticam graeco sermone scriptam in manus adolescentuli sumpsissent; non utique intellexissent, etiam magno praeceptoris incommodo. Quae etsi multo post tempore ac labore fuisset intellecta statim memoria erasa ex-

(1) Lib. 9. c. 25. p. 108. E. ed. Sigon.
(2) Partit. Or. n. 1.
(3) De trad. Discipl. L. 3. p. 297. ed. Lugd.

cessisset; cùm potius ad verba spectare debuerint tirones, memoriterque dicere, nullam rerum rationem habentes, nihilque hercle de ea re proficientes.

Haec eadem de lingua latina dicenda sunt; quod si grammatica latine scripta, latinum sermonem docentes Italos vidisset Quintilianus, in eos acriter animadvertisset; optimus hic rethor » Magistri, » dixerat, hoc opus est, cum adhuc rudia tracta» bit ingenia; non statim onerare infirmitatem di» scentium, sed temperare vires suas, et ad intel» lectum audientis descendere (1). «

Quod si omnino id nobis tenendum est, non debebit absurdum videri, alia lingua, grammaticam quamque docere velle, ac pueri qui eam discere cupiat? » Dum autem non ut intelligere possit disci» pulus, sed ne omnino possit non intelligere cu» randum (2) « non modo id non agis, sed conaris ne te puer intelligat, cum ei des explicandas voces a sui sermonis consuetudine prorsus alienas. Tullius (3) autem ne verbum quidem pati poterat graecum in latino sermone inculcatum, rationem afferens, quod ea lingua quae nota est nobis uti debeamus.

Palladius.

Adde quod nulli est responso obnoxium. Ego a te linguam latinam discere volo; hanc mihi grammaticam porrigis? Quid de ea faciam? explica, regulasque discito; at latina ea est tota; latinique sermonis notitiam ex te haurire conabar; nescio quid agam; hanc linguam ignoro; alio ergo me confe-

(1) Quint. l. 1 c. 3.
(2) Id. l. 8 c. 2.
(3) De offic. l. 1 n. III.

ram teque deseram; aut enim ponis me iam id sermonis scire, tum oleum operamque perdam, nil te opus est mihi; actum agere omnino mihi non placet; aut me ignorare hanc linguam existimas, ut revera est, cur autem mihi dicis » latinum explica? « at ignoro; mihi obtempera atque pareto; ego prius explicabo, tu ad memoriam tuam explicatum revocare debes; sed si memoria, ut plerumque, me fallit? quid agendum? Tum pudore suffusus reticebo.

Has voces audire videor adolescentuli, qui cum videat eas res mentis suae captum superare facile acquiescit, et ut melius potest agens, nihil proficit.

Sed aliquid fortasse, aiunt, proficere posse, dum a teneris unguiculis, latinum idioma explicare assuescant. Id autem obiicere idem est ac causa cadere, ut aiunt iurisconsulti. Ergone tironum in manus grammaticam numquam, mehercules, puro sermone scriptam ponent! atque ita efficient ut multas phrases barbaras pueri ac adolescentes imbibant, quae illis fixae alta mente, repostaequae maneant?

Tanto magis cavendum est in illa prima aetatula, quo magis primae ἰδέαι menti infiguntur (1).

Philologus.

Nec valet obiicere, qui grammaticam graecam scribunt, eam latine plerumque scribere; ὑποτίθεσθαι enim debemus latinum sermonem eumdem callere, qui ad graecum se transferat. Nam dubium fuit aliquibus, utrum litteratus numeris omnibus absolutus esse possit, qui graecam linguam ignoret; quod

(1) Nihil praestat Lagomarsinius in Orat. II. pag. 31 cum his obiectionibus respondet.

negat Parrhasius (1) noster, cum demonstret in quos incurrat errores qui graeci sermonis scientia sit expers; sed latinum ad quemlibet in litteratura gradum non oportere visum est nemini; quapropter si quis graecum sermonem discere cupiat, latinum sciat oportet; iamque ad litteras accesserit, necesse est, qui in eis perfectionem captet.

Palladius.

At inquiunt; cur Alvarez, Vossius, Sanctius, Perizonius, Ursinus aliique latinam grammaticam latine scripserunt? De Alvarez nihil dicam; hanc tantum rationem afferam, quod cum prior extiterit, qui regulas collegerit; magnum id putans operis, ut illis temporibus, merito ac iure, litteratis potius viris operam suam voluerit venditare, non pueris scripserit illitteratis. De ceteris vero clarum non tironibus opera sua consuluisse, sed iis qui huius linguae ἰδιώματα et lepores vellent inspicere. Et quoad Vossium ipse titulus Grammaticae philosophicae meam opinionem confirmat. Sanctii regulae tot auctorum locis munitae non sunt nisi provectis accommodatae: Perizonii vero pulcherrimae quaestiones iam litteratum adolescentem requirunt; idem de Ursino dicendum, de Popma, aliisque innumero, ut ait Lucretius, numero scriptoribus; ut de Laurentio Valla taceamus, qui elegantiarum libros perscripsit, qui a tironum manibus essent ab initio removendi, ut a latini idiomatis notitia ad elegantias transirent; at prorsus reiiciendi sunt, ne regulas quasdam falsas adolescentes ediscant elegantiarum loco; nam eius errores Budaeus (2) Du-

(1) Parrh. ep p. 160. ed. Neap.
(2) Budaeus Comment l. Graec. p. 32 edit. Basil. 1530.

kerus (1), Vives (2) summa diligentia notarunt.

Sed largiamur, quod abest, ut ii tironibus scripserint, nunc in tanta philosophiae luce, eos adhuc sequemur qui nos aetate praestiterunt? Ad graecum redeam sermonem; prodiit Parisiis nova Methodus graece linguae discendae Gallice perscripta, ut adolescentes regulas percipere possent; ac denique Augustus Matthiae Germanica lingua graecam grammaticam Germanis tradidit, quam cum viderent ceterarum gentium eruditi bona fruge refertam, Angli in suum sermonem verterunt, Itali italica lingua eamdem Augustae Taurinorum ediderunt.

Hoc ipsum, quoad latinam linguam, profitendum est; nam est quoque nova Methodus latinae linguae ediscendae Gallice exarata, in Italicumque sermonem conversa (3), quae plane italis adolescentibus terenda est, ut sermonis notitiam, nec non elegantias percipere possint. Taceo a Gravina Iano Vincentio (4), hoc opus fuisse laudatum; sed summi huius aevi viri, in puerorum educatione adoptarunt, satisque usui esse et commodo perspexerunt.

I nunc, et Alvarez nobis obtrude. Verum est eius fuisse grammaticam a Scioppio laudatam (5), sed ut illis temporibus; primus namque fuit, quod supra animadverti, qui regulas colligere curarit; sed nunc cum iam notae Claris. Perizonii ad Sanctii Minervam prodierint, cum Nova Methodus iamdiu cusa sit, cur ad Alvarcz confugiemus? Sed Perizonius

(1) Duker. de Lat. Vet. Iurisc. passim.

(2) Vives de caus. cor. art. l. 2 p. 67 ed Lugd. Aeg. Menag. Amen. Iur. c. 39 in etymo convicii.

(3) Porto-reale. Auctor est Claudius Lancellottus v. Lagomarsin. Orat. 1. p. 17 sed iniquum de eo jndicium fert ib.

(4) Orig. Jur. Praef. nec non Perizon. praef. ad Sanct. Min.

(5) Lagomars. Orat. 2. p 39.

praeceptorem quoque docere potest; imo magistris necessarium esse Rollinius (1) putat, si bene memini: ideoque in prima institutione, ad adolescentium ingenia quam maxime alenda nova methodus, de qua supra diximus cum primis facere existimo, atque ita censeo.

Philologus.

O intolerandum morem! quo modo fieri potest, ut te aliqui ex italis prosequantur? Eo pacto (2) quod quis discere poterat non multo post tempore atque labore; idem diutius litteris dans operam, non aeque bene discit; cum inter Italos grammatica potius adhiberi debuerit, quae Italica lingua regulas traderet latini sermonis. Cum ad hoc cogito indignatione flagrò, nec cohiberi possum, quin exclamem. » O crudeles! qui intolerandum hunc morem sequimini, qui multis cunctando detrimento fuistis, contra ac Fabius ille Maximus, *qui Romanam cunctando restituit rem* (3). Vos rem litterariam civibus orbastis; qui cum videant aliquid esse difficillimum latinum callere sermonem, litteras deserunt, remque pubblicam litterariam, summo ipsius moerore, tristitiaque summa relinquunt!

At ne ultra dicamus, quia nos monet Terentianus ille Sosia (4). « Veritas odium parit.

Quamquam hisce dictis non aliquibus illudere sed reipublicae litterariae consulere atque prodesse conatus sum: nam etsi poetam recte dixisse scirem » Ridiculum magnas plerumque secat res « potius

(1) Hist. Anti. e Romai. Liv. 25. art. 2.
(2) V. Iustin. Instit. L. 1. t. 1 et Grot. Fl. spars.
(3) Enn. ap. Cic. de Senect. n. 10. Macrob. Saturn. l. 6. c. 1.
(4) Tere. Andr. p. 36. v. extr. ed. Gryph.